

PETRI RAMI SCHOLA-
RUM MATHEMATICARVM
LIB. XXVI. IN DEFINITIONES

undecimi elementorum.



Quinque postremi elementorum libri continent doctrinam variam de solidis, linea, superficie, corpore. Nam de propositionibus horum librorum quædam sunt de linea solida, quædam de superficie solida, id est quarum intelligentia in solido concipitur. Sic antea lineæ planæ dictæ sunt quæ in uno plano conciperentur. Pappus 7^o theo. tertii libri facit problemata alia plana, alia solida, alia grammica, sed pauló secus. Totius autem stereometriæ magna inopia fuerit, si communi geometriæ & stereometriæ, si propria geometriæ subducantur, & antecedenti parti, ut methodus doctrinæ requirit, attribuantur. Nam de 85. propositionibus librorum quinque sequentium solæ 24 sunt stereometrici generis propriæ, reliquæ 61 sunt communes vel ad geometriam propriè attinent, ut in singulis libris subtiliter explicabitur. sed de libris singulis agatur.

Liber undecimus habet definitiones 29 communes quinque librorum euclidea methodo accumulatas, quarum 15 sunt communes geometricarum & stereometricarum rerum, quatuordecim tantum propriæ.

1 & 2 d 11 Sunt simplices ut antea fuerunt in linea & superficie, corpusq; triplici dimensione longitudinis, latitudinis, altitudinis, explicatur, unde perfecta magnitudinis trinitas agnoscitur, de qua Aristoteles primo de cælo.

3 & 4 d 11 Definiunt perpendicularem solidam tum lineam, tum superficiem, sicuti decima definitione primi definita est linea perpendicularis plana: Neque tamen definitio hic ulla est, sed consecutaria sunt ex illa definitione primi libri. Rectæ sunt perpendiculares quarum altera incidens in alteram æqualiter interjacet. æqualem veró interjacentiam si qua res efficiat, requirit, perpendiculum subline in rectas omnes subjectas ostendet nempe ut in omnes partes æqualiter interjaceat. Sed Euclides ex antecedentibus consecutorum principia facit, & numerat in definitionibus. E conversis autem facit 4 & 38 p 11, de quibus postea dicitur. Deinde in tertia definitione quod recta sublimis dicitur perpendicularis plano si sit perpendicularis omnibus rectis, numerus (omnibus) sensum turbat, rectis in universum satis est, siue duæ tantum sint, siue innumerabiles. Sed de hac re ad 4 p 11 commodius agetur. Potest enim uni tantum comparari, ut mox 6 p 11: potest veró in eodem secum plano sitis parallelis infinitis recta perpendicularis esse, nec tamen ideo solida perpendicularis, nec eidem subjecto perpendicularis erit. Contactus autem verbum impropriè sumitur. In quarta definitione communis sectio planorum (quæ dicitur) est una linea recta, ut nominatim proponetur 3 p 11 & re